DE HAEMATEMESI ET MELAENA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ARMINIUS BRUNO WEINMANN
SCHRAPLAVIENSIS. SAXO - BORUSSUS.

Opponentibus:

C. SPIRITUS, med. et chir. Dr.
H. SEIFFERT, Referend.
G. CALLAM, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

D. D. D.

FILIUS.

Vomitus cruentus jam ab Hippocrate accuratissime est descriptus et distinctus; nam non solum inter vomitum cruentum acutum et chronicum discrimina statuit, sed etiam singulas formas hujus morbi distinxit. Hunc praecipue a chronicis hepatis morbis deduxit, unde atram bilem oriri opinatus est ille medicorum princeps. Propter materias illas atras ano et ore ejectas et propter illam singularem cutis colorationem, quae nigro tingitur colore, Graeci hunc morbum μελαῖναν νοῦσον appellarunt. Posteriori tempore in Hippocratis honorem morbus est dictus niger Hippocratis. Galenus quoque caussam morbi primariam atram istam bilem habuit, sed materiae istius officinam non in hepate, sed liene posuit. Quam quidem ob sententiarum diversitatem de atra bile nonnulla verba hac de re sunt facienda. Multi medici posterioris aevi hanc materiam veram bilem esse sunt opinati, quamvis Galenus verbis admodum perspicuis docet, bilem nil esse nisi sanguinem depravatum (1); sanguinem enim irritatum, dicit Galenus, in materiam atrabilarem mutari (ἐξ αἵματος ἰσχυρῶς ζέσαντος ἡ μετάπτωσις εἰς τὴν μαλαγχολικὸν χυμὸν γίνεται); quae qui-

---

(1) de different. febr. libr. II, c. 11.

dem materia non est bilis, sed eo demum, ut diutius stagnet, in illam mutatur atram bilem, seu materiam atram. Hoffmann (1) dicit: »at vero pro nostra sen»tentia, veterum atra bilis, ubicunque de illa mentio»nem faciunt, neutiquam bilis est talem calorem et na»turam suscipiens, sed potius ipse sanguis crassus, fae»culentus, sive ex mora et stagnatione diuturna intra »substantiam lienis vel vasa mesenterii, sive ex miscela »acidi in ventriculo haerentis, atrum talis modi piceum»que colorem induat.« Recentiores pathologi modo hunc modo illum secuti sunt veterum choragum; nam synonyma melaenae, morbus spleniticus, dysenteria splenitica, hepatorrhoea nigra vel cruenta, haemorrhagia hepatis, hos medicos morbi caussam vel ab hepate vel a liene deduxisse, satis probant.

PRODROMI.

Plerumque morbus uterque occurrit in hominibus, qui provectiores sunt aetate, vitam degunt sedentariam, quorum digestio est perturbata quotidiano usu ciborum calidorum et admodum irritantium, qui flatulentia et alvi obstipatione laborant, modo tristis modo hilaris sunt animi, quorum facies pallido tincta est colore et, ut paucis dicam, ea omnia solent antecedere, quae medici hypochondria, plethora abdominali, dyspepsia etc. solent complecti; qui quidem prodromi per longius temporis spatium durant, si ex perturbatis organis gastricis fluunt, per brevius autem, si vi ulla quasi opposita gignuntur. Vulgo vasa sanguifera tractus intestinalis nimio sanguine

---

(1) de morbo nigro Hippocr. p. 6.

sunt repleta; inde colica illa **haemorrhoidalis** s. **sanguinea** dicta, passim magis ad statum nervosum proclivis, oritur. Alii tantum hoc vel illo tempore dolorem regionem umbilicalem contrahentem, esu certorum ciborum auctum et quod temporis spatium attinet, admodum variabilem accusant, alii cardialgia cum lipothymia conjuncta vexantur, alii de subitaneo virium languore simul cum cardialgia, alii de dolore vel premente, vel tendente, vel urente aut regionem epigastricam aut hypochondriacam tenente, de dolore spastico umbilicum versus, digiti tactu et ciborum fructu augescente, conqueruntur. Qui quidem dolores non solum abdomen, sed etiam dorsum occupant et vulgo cum calore modum solitum excedente conjuncti sunt. Interdum vasa abdominalia, praesertim mox post coenam, vehementius pulsant; simulac hoc phaenomenon evanuerit, dolores capitis prementes sequuntur. Fere semper vel totum abdomen, vel regio hepatica, vel linealis tumet. Quod locum affectum attinet, modo aegroti de latere dextro, modo de sinistro doloribus infestato conqueruntur, quos tussi aliisque corporis motibus augeri, contendunt. Omnia haec symptomata magnopere sublevantur, cum corpus pronum datur. Lingua, si **Mostii** (1) auctoritatem sequimur, muco albo est obtecta et quasi creta obducta, sicca et rimas exhibens vel transversales, vel longitudinales. Ciborum appetitum maxime variare, adjiciendum est, nunc enim prorsus est sublatus, nunc ultra modum auctus. Aegrotorum spiritus, dico de odore, est corruptus, frequentes singultus et ructus adsunt, saepissime ab

---

(1) **Most**, Encyclop. I, p. 633.

illis ejicitur mucus viscidus et spumosus, sapor acrimonia quadam est depravatus, horis matutinis ructus existunt acres et oris saliva liquorem fingit causticum, unde fit, ut fames vehementissime augeatur. Cibi, quibus, ut fames ista tollatur, aegrotus fruitur, dolorem gignunt in regione gastrica prementem et tendentem; si autem aegrotus isti ciborum appetitui non satisfacit, cardialgia oritur et colica. Passim aegrotus ad vomitum est propensus, vel reapse vomit et vomitus diversis temporibus simul cum anxietate et gastrodynia existunt. Vulgo sedes sunt irregulares, faeces durissimae earumque excretionem frequentes antecedunt flatus; nihilominus diarrhoea quoque, intestinum rectum infestans, invenitur. Urina colore vel rubro est tincta, vel opaco, vel caeruleo, immo nigrescente. Hominum cutis hac morbi indole affectorum peculiarem exhibet colorem, vel cachecticum, vel luridum, vel ictericum eorumque facies jam satis nunciat, ipsos admodum aegrotare. Tales autem homines admodum propensi sunt ad vitam solitariam et ad tristitiam. Passim affectiones apparent asthmaticae, dolores capitis maxime frontem tenentes, vertigo, amblyopia, aurium susurrus, calor fugax, subitanea lipothymia; quae quidem symptomata frequenti narium stillicidio sublevantur. Systema nervosum admodum esse perturbatum, et singulares sensuum perceptiones et sensus communis irregularis docent. Aegroti multum frigore subito intrante, quod ne lectus quidem potest tollere, vexantur; interdum pedes per horas matutinas intumescunt. Quae quidem symptomata, si per longius temporis spatium durarunt, subito calor et dolor in regione epigastrica augetur, vasa sanguifera multo magis

pulsant, palpitatio cordis exstat, pulsus fortior fit et magis irregularis, virium languor, lipothymia, anxietas accedunt, facies et extremitates frigescunt et sudore frigido sunt obtectae, pulsus parvus est et intermittens. Tum id temporis momentum adest, ubi vomitus cruentus aut intrat, aut imminet.

SYMPTOMATOLOGIA.

Multi aegroti, si majori ciborum quantitate fructi sunt, regionem gastricam magis intumescere et calorem eodem in loco augeri, sentiunt; his symptomatibus adjungitur vomendi propensitas, anxietas, magna virium prostratio, tandem vomitus cruentus subsequitur. Talis vomendi propensitas, omnes vires admodum debilitans, passim per multas horas durat, aegrotus saepius oscitat, facies frigido sudore est obtecta, de sapore conqueritur modo amaro, modo acido, salivam ejicit viscidam, calor universalis valde est auctus, sitis vehementissima, vapores per fauces surgunt, singularem illum sanguinis odorem exhibentes, magna aegrotos aggreditur anxietas, palpitatio cordis intrat, quae quidem non raro talem vehementiae gradum assequitur, ut jam ex longinquo pulsatio cordis possit animadverti, pulsus modo frequens est et spasticus, modo minimus fit; denique prorsus evanescit pulsus et illico vomitus intrat cruentus. Inter vomitum cruentum ipsum non raro altera lipothymia alteram sequitur, pulsus nullus sentitur, extremitates frigidissimae sunt et aegrotus facie hippocratica praeditus. Alii de doloribus conqueruntnr regionis lienalis, alii in convulsiones incidunt. Praecipue Melaenae impetus vires quam maxime prosternunt, aegroti omnia quasi ob-

scurata et tenebrosa conspiciunt; vertigo et anxietas augentur, si vomitus non intrat, quamvis jam magna sanguinis copia in ventriculum et intestina sit effusa. Tali modo morbus per dies atque hebdomades durat, modo cedit modo recrudescit. Praecipue autem, ne morbus novum faciat impetum, timendum est, si aegrotus de singulari quodam calore, certum abdominis locum tenente, conqueritur, si febricitat et fastidio vexatur, si epigastrium quasi est coarctatum, dolor hypochondrii vel dextri vel sinistri, anxietas, ad lipothymiam propensio intrat. Quod et qualitatem et quantitatem sanguinis vomitu ejecti attinet, variis in casibus varia exstat ratio; modo merus est et ruber, modo opacus, ater et coagulatus, nunc aliis succis intestinalibus commixtus, nunc copia parva est, nunc permagna. Passim sanguis ex ventriculo surgens, simulac laryngem est assecutus, hoc organon irritat et tussim movet; vix est, quod hanc rem commemorem, nisi ista tussi diagnosis perturbetur et incertior reddatur; facillime tum haematemesis cum haemoptysi potest confundi. Si morbi impetus feliciter est superatus, plerumque aegrotus molestiis, sensu illo dolorifico, tanquam regio gastrica tendatur et prematur, est liberatus, vel vires quam maxime sunt prostratae et lipothymia altera sequitur alteram. Fere semper major minorve sanguinis in ventriculum effusi copia intestina intrat, abdomen tumefacit, dolores ciet colicos, simul tenesmum et diarrhoeam, qua magna sanguinis depravati copia ejicitur et removetur. Nonnunquam fit, ut sanguis in suas partes solutus coagulet et fibrina illa in unam massam concreta membranae formam exhibens ano ejiciatur.

Sed nunc ad ea transeamus, quae diversis in casibus diversam efficiunt rationem.

Primum respicienda est hominis vomitu cruento affecti aetas, ejus sexus et constitutio. Ut jam supra traditum est, hic morbus plerumque occurrit in hominibus, qui jam provectiores sunt aetate; rarissime autem in senibus. In universum magis sexus sequior infestatur, quam potior. Praecipue autem ii homines vomitu afficiuntur cruento, qui atrabilaris sunt constitutionis et habitus, ut ita dicam, cachectici, qui multis curis, doloribus, magnoque moerore angebantur, qui morbis organorum gastricorum chronicis laborant, quorum facies pallido colore est tincta. Si quando Melaena in sexu virili invenitur, plerumque aegroti haemorrhoidibus laborant suppressis; in junioribus quoque occurrit hic morbus, si forte stillicidium narium frequentius repetitum subito est suppressum; immo infantes interdum isto malo afficiuntur; hi plerumque pereunt. Sed nunc nonnulla adjicienda sunt verba de haematemesi et melaena, quam multi medici in neonatis sese observasse contendunt; hi vomitum cruentum a corpore inter partum compresso deducunt. Tales autem infantes plerumque in statu apoplectico in lucem prodierant, vel ex omnibus potuit colligi, neonatum sanguinem ex utero manantem devorasse. Alibi neonatus vel ex mammis violatis simul cum lacte suxerat sanguinem, vel revera pro lacte sanguinem hauserat, si forte fluxus lochialis subito erat suppressus, vel nimis parcus evaserat. Reil contendit, se pluries in pueris validis circa dentitionis tempus fluxum sanguineum ex tractu intestinali sine ulla singulari affectione observasse; qui quidem omnes hujus familiae

pueros, simulac hancce aetatem erant assecuti, afficiebat. Hoffmann (1) puerum vidit unius mensis, qui vehementissimo erysipelate necaretur; ante ejus mortem simul cum sedibus ano sanguis ejiciebatur ater. In cadavere secto haec inveniebantur: ventriculus totusque tractus intestinalis sanguine atro erat infarctus, vasa autem reliqui corporis fere exsanguia erant. Qui quidem neonatorum morbus magis fit perspicuus, si Schoenleinii (2) proctorrhoeam respicimus, quam praecipue in junioribus inveniri, clarissimus auctor contendit. Aegroti vel purum et rubrum sanguinem, vel faecibus commixtum edunt, digitis in intestinum rectum immissis neque venae animadverti possunt tumefactae, neque relaxatio ulla parietum ambientium; sed totum organon valde est sensibile. In neonatis tales fluxus sanguinei jam secundo vel tertio die post partum existunt. Praecipue autem haec ratio in regionibus observatur septentrionalibus. Meconium acidum, ascarides, stillicidium narium subito suppressum, caussae fluxus sanguinei esse possunt, praecipue autem parentes sunt nominandi haemorrhoidibus affecti. Qui quidem fluxus non raro inflammatione intestini recti supprimitur. Haec proctorrhoea, si juvenibus subito tollitur, haemoptysin efficit et tali modo caussa remota phthiseos, hancce aetatem praesertim infestantis, fieri potest. Haematemesis in infantibus quoque observatur, si materiae acidae, tractum intestinalem valde infestantes, in illos egerant e. gr. poma immatura; tum invenitur hac aetate inter decursum ex-

(1) J. C. Hert (praes. Fr. Hoffmann) dissert. de morbo nigro Hippocratis. Halae 1701.

(2) Schoenlein's Pathologie u. Therap. Bd. II, p. 137.

anthematum acutorum. Gastritis quoque et enteritis, si neonatos aggreditur, passim tali fluxu sanguineo decernitur.

Tum sanguinis indoles diversis in casibus diversa est respicienda. Sanguis, qui primum ejicitur, vulgo iis est commixtus, quae ventriculus vel intestinum eo ipso temporis momento continuit et hanc ob rem varium exhibet colorem; tum autem obtruditur quaestio, utrum sanguis illico vomitu sit ejectus, necne. Nam, si per longius temporis spatium vel in intestino, vel in ventriculo commorabatur, ejus natura potuit depravari. Sanguis ex arteriis missus exhibet colorem laete rubrum; sanguis ex venis profectus atri est coloris et carbogenio satis impraegnatus et tinctus, maleolens, acidus, immo causticus, ita ut dolores moveat in faucibus urentes et dentes hebefaciat. Hippocrates(1) sanguinis qualitatem admodum variabilem praeclare his verbis descripsit: „οἷον τρύγα ὅτὲ μὲν αἱματῶδες, ὅτὲ δὲ οἷον οἶνον τὸν δεύτερον, ὅτὲ δὲ οἷον πολύπου θόλον, ὅτὲ δὲ οἷον δριμὺ ὄξυς, ὅτὲ δε σίαλον καὶ λαπὴν, ὅτὲ δὲ χωλὴν χλωρήν.“ Sanguis vomitu editus secundum Hippocratem tantum aciditatis gradum potest assequi, ut si sanguini creta superfundatur, acidum carbonicum a calcaria carbonica solvatur. Boerhaave(2) ita dicit de sanguine isto acido: „materies vero sic reddita, una cum tenacitate fere picea simul habet acrimoniam acerrimam acidam, quae metalla rodat, terram fermentet; aut alcalinam salinam, corrosivam quam maxime; aut oleosam putrefactam, omnium teterrimam.“ Alias sanguis magis est aquosus et carnis loturae simil-

(1) de loc. affect. lib. II, c. 71.
(2) Aphor. §. 1105.

limus, coagulatus et in singulos globulos coactus; hoc vomitu rubrior ejicitur sanguis, illo magis opacus. Plerumque sanguis ater fere jam coagulatus ejicitur. Quod saporem attinet, quem haec materia depravata exhibet, modo dulcem, modo amarum, nunc acidum, nunc putridum esse, aegroti contendunt. Veteres contenderunt, saepe bilem hoc sanguine esse commixtam, id quod medici recentiores admodum dubitarunt. Meissner (1) analysi chemica ostendit, bilem passim esse commixtam praesertim eo sanguine qui ano ejiciatur. Sed disquisitiones accuratissimae, quas Tiedemann et Gmelin de digestione instituerunt, nonnullas bilis partes semper cum excrementis excerni docent; huc accedit, quod digestio fere prorsus est deleta, itaque bilis ad cibos digerendos necessaria non desideratur, sed cum sanguine commixta excernitur. Sangius ano emissus et qualitate et colore non minus est variabilis, quam sanguis vomitu ejectus, nam modo rúber, fuscus, ater, modo coagulatus, in singulas partes solutus, dico de sero, cruore et fibrina, et membranas fingit carneas, unde haematemesis carneoso-cruenta.

Deinde vehementia morbi et quantitas sanguinis effusi est respicienda. Praecipue in pueris, junioribus, in hominibus, qui constitutionis sunt atrabilaris et chronicis lienis morbis laborant, copia sanguinis vel vomitu vel ano ejecti permagna est, ita ut aegroti non raro multas sanguinis libras edant. Praecipue vehementia morbi est timenda, cum vomitus cruentus jam saepius recrudescebat. Cum permagna sanguinis copia est ejecta, tum facies subito pallescit, extremitates frigescunt,

(1) Schweiggers N. Journ. f. Chem. u. Phys. Bd. VIII, Hft. 2.

aegrotorum vires fere prorsus sunt ablatae, altera lipothymia alteram sequitur et quamvis raro pereant, attamen copia sanguinis amissa, modum excedens, aegrotos ad phlegmasiam propensos reddit. Nihilominus exempla sunt nota, ubi ingens sanguinis moles vomitu ejiceretur et aegroti restituerentur. Unum praecipue exemplum, quod Pasquali protulit, dignum est, quod uberius tractetur. Vir quidam septuaginta quinque annos natus et constitutionis admodum irritabilis, semper bona gavisus erat valetudine. Ille homo consuetudini sese tradiderat, quotidie vires fortissime exercendi et tum quam maxime defatigatus cibos vix digerendos celerrime devorandi. Ex quattuor annis hic vir vomitu erat affectus, qui sensim sensimque frequentior factus, tandem quoque decimo quarto die intrabat. Nutrimentis vomitu ejectis, magna virium prostratio, anxietas, taedium, constrictiones oesophagi et ventriculi dolorificae, abdominis intumescentia restabant. Semel vomitus ille continuus durabat a vespere usque ad proximam lucem. Subito hic vomitus cessat et extemplo vomitu materia quaedam oleosa et sanguis merus ejicitur. Sub meridiem aegrotus mente privatur, facies in hippocraticam mutatur, respiratio vix potest percipi; pulsus prorsus evanescit et cordis motus fere deficit, extremitates frigescunt, tela cutis quasi ab ossibus sejuncta et separata videtur, ita ut abdominis et extremitatum integumenta saccorum vacuorum instar dependeant. Materia illa oleosa, primum vomitu ejecta, et sanguis effusus pondus triginta librarum effecerunt. Nihilominus contigit, ut diaeta apta, dum nutrimenta tantummodo parvis dosibus sed brevioribus temporis intervallis, praebebantur, et medicamen-

tis roborantibus, aegrotus intra viginti dies restitueretur. — Si forte vomitus cruentus ex ulceratione ventriculi oritur, qua vasa singula laeduntur, tum plerumque sanguinis copia permagna est; qui quidem vomitus cruentus tali ex caussa ortus, si per plures dies recrudescit, non raro mox aegrotos brevi necat; nam rarissime tantum fit, ut talia vasa ulceratione laesa et corrosa concludantur; si sane talis faustus morbi exitus natura adducitur, nihilominus aegrotus serius ocius chronico ventriculi malo necatur. Passim fit, ut totus morbus negligatur, si prodromi paucas et parvas tantum secum ferunt molestias; tum plerumque non solum nullum ex vomitu cruento nascitur detrimentum, sed etiam omnia plethorae abdominalis symptomata evanescunt et homo in integram valetudinem est restitutus. — Quod ad locum quoque variis in casibus varietates exstant; modo solo vomitu, modo sedibus, modo utraque via simul sanguis in ventriculum et intestinalem tractum effusus ejicitur.

Jam supra relatum est, haematemesin fere semper ex morbis acutis organorum gastricorum originem ducere, melaenam ex chronicis malis eorundem organorum proficisci. Hic sanguis jam depravatus, piceus ejicitur, illic autem recens et ruber, hic prodromi per longius, illic per brevius tempus perdurant.

Porro adjiciendum est, vomitum cruentum non raro saepius recrudescere, immo nonnunquam certum quendam servare typum. Hoc vomitu plerumque omnes molestiae praegressae tolluntur, illo autem vires consumuntur et aegroti vel in febrem hecticam, vel in hydropem incidunt. Vomitus ille typicus praesertim occurrit post haemorrhoides suppressas, tum vices suscipit menstrua-

tionis et interdum per primos graviditatis menses durat. Passim, priusquam corpus tali sanguinis excretioni praeternaturali assuefactum est, vehementissimae antecedunt affectiones, dolores spastici, hypochondria, pedes, brachia, mammas etc. occupantes. Pessimus morbi exitus timendus est, si forte talis vomitus cruentus medicamentis irritantibus, quae pro medici sententia menstruationem adjuvant, est provocatus, ex contrario autem, si natura ipsa hanc viam sanguinem removendi ingreditur, tantummodo vulgares mentruationis comites observantur et ex morbo nullum provenit periculum. Si vitia organica adsunt in partibus genitalibus, talis vomitus per naturam effectus rarissime regularem compensat menstruationem, nam modo nimis parcus est vomitus, modo nimis largus, modo cum aliis fluxibus cruentis longe periculosioribus alternat, ex. gr. haemoptysi; unde facillime phthisis nascitur. Hauff exemplum admodum memorabile palam fecit. Virgo quaedam, triginta annos nata, constitutionis atrabilaris, ex pluribus mensibus menstruatione irregulari et dyspepsia laborabat et singulis temporum intervallis vomitu cruento erat affecta. Ex octodecim diebus alvus aegrotae prorsus erat obstipata, per tres menses ne minimum quidem menstruationis signum apparuerat, quotidie autem vomitus intrabat cruentus. Simul dolor quidam aderat pungens et certum locum tenens in regione lienali admodum tumefacta, vertebrae thoracicae valde erant sensibiles et nonnunquam dolores lancinantes in sinistro faciei latere et in scapula sinistra exstiterunt. Vomitum cruentum semper magna ac dolorifica abdominis intumescentia praegrediebatur, simul uterus in vaginam erat depressus. Ple-

rumque intra viginti quatuor horas una sanguinis mensura vomitu ejiciebatur, qui nunc ruber erat, tenuis et acidus, nunc ater et coagulatus. Interdum loco vomitus cruenti haemoptysis intrabat, quam dolor pectoris sine ulla affectione asthmatica antecedebat. Inter morbi decursum passim larga subsequebatur menstruatio, quae per quatuor vel sex dies durabat. In utroque crure parva apparebant ecchymomata, et omnes res nigro colore tinctae aegrotae visae sunt, ut nihil accurate posset discernere. Morbus tolli non poterat, sed nihilominus vires non multum erant debilitatae et nutritio satis bene procedebat. — Haematemesis et Melaena vices quoque fluxus haemorhoidalis vel irregularis vel suppressi possunt suscipere; Schoenlein melaenam hac ex caussa haemorrhoidibus irregularibus adnumerandam esse censet. Multos viros tali vomitu cruento periodico affectos admodum aegrotare, si vomitus non intraverit, experientia docuit. Plinius (1) narrat, praetorem Macrinum quotannis, et praefectum Velusium Saturninum, qui aetatem nonaginta annorum assecutus sit, vomitu cruento fuisse vexatos.

Interdum vomitus cruentus invenitur in statu putrido et scorbutico. Hoffmann (1) pluries, si scorbutus magnam vehementiam erat assecutus, maculas cutaneas luridas, debilitatem et cordis palpitationem observabat; quae quidem omnia excretionibus sanguinis atri per anum finiebantur. Aliud exemplum exstat, ubi homo quidam ictero afficiebatur; brevi tempore post maculae pete-

---

(1) Hist. nat. Lib. XI, c. 38.
(2) Med. rat. T. IV. P. II, p 70.

chiales et fluxus cruentus ex gingiva exstitere; tum secuta est haemoptysis, fluxus cruentus ex intestino recto, denique vomitus cruentus; postremo morbus maculosus Werlhofii apparuit. —

Maximum imminet periculum, si haematemesis et melaena comites sunt febris intermittentis. Huc numeranda est febris tertiana subcruenta, tertiana atrabilaris et quartana splenitica. Vulgo vomitus cruentus paroxysmum febris intermittentis comitatur et plerumque de vita aegroti desperandum est, praesertim si tela lienis est emollita (febris tertiana et quartana scorbutica). Pathologi, mali ominis esse docent, si vomitus cruentus demum inter quartum et quintum febris intermittentis paroxysmum existat. Sed nihilominus exempla sunt nota, ubi talis vomitus cruentus inter febrem intermittentem admodum salutaris fuit. In typho icterode quoque sanguis ater et depravatus ano et faucibus ejicitur.

Dein caussa remota sistit diversitates; nam modo vomitus sporadicus est et singulos tantum homines afficit, modo epidemicus et multos homines simul corripit. Jam Galenus talem epidemiam aestivam observavit, in qua morbus vel septimo, vel nono, vel undecimo die decernebatur sanguinis atri ejectionibus ex ano; primum, adjicit Galenus, flavam et rubram materiam sedibus esse egestam, tum autem, aegrotus sive restitutus sit, sive necatus, materiam atram. Recentiori quoque tempore talis epidemia est passim observata. Hoffmann (1) epidemiam commemorat autumnalem, quae Martisburgi exstabat. Tum viri, tum mulieres, praesertim

---

(1) ibid. T. II. p. 213

autem homines ordinum inferiorum, vomitu magnam sanguinis atri molem ejiciebant; nihilominus vires non debilitabantur; huc accedit, quod nemo aegrotorum morbo est necatus.

Denique natura morbi ipsius respicienda est, utrum sthenica sit, an asthenica. Semper, si morbus sthenicae est naturae, symptomata antecedunt, quae, organa gastrica inflammationis instar irritari et sanguinem majori vi hunc in locum invehi, docent. Vulgares prodromi sunt sensus, tanquam regio gastrica prematur, tendatur, urat et sensus dolorifici in regione lienali. Pulsus durus est, contractus, nonnunquam intermittens. Aegrotus febricitat, cordis palpitationibus vexatur, regio epigastrica pulsitat, facies rubra et omnia inflammationis symptomata prae se fert. Regio gastrica ne digitorum quidem tactum fert. Sanguis, quem aegrotus vomitu ejicit, ruber est et satis liquidus. Qui quidem morbi impetus postquam evanuit, simul omnes molestiae antea dictae disparent et aegroti vires brevi tempore prorsus restituuntur. Hanc faciem non raro vomitus cruentus prae se fert, si in junioribus existit, si ventriculus nutrimentis nimis irritantibus et alibilibus ultra modum est lacessitus, vel si sanguinis profluvia regularia subito sunt suppressa. — Naturam vomitus cruenti asthenicam hi prodromi solent antecedere. Homines pallescunt et quaque virium contentione vires facillime debilitantur, digestio plerumque magis minusve est perturbata, modo ciborum appetitus prorsus deest, modo fames ingens adest, simul aegroti ructibus acidis, flatibus maleolentibus laborant, dentes et lingua muco squalido sunt obtecti, abdomen tensum, pulsus parvus et debilis. Simul

aegroti tristissimi sunt animi, ad vertiginem propensi, auditus aurium susurru est alienatus, passim in lipothymias et affectiones nervosas incidunt. Quae quidem symptomata simulac antecesserunt, aegrotos subito aggreditur horripilatio, calor fugax et calor ventriculi insolitus accedit. Aegrotus pallescit, magna anxietate vexatur, vires prorsus prosternuntur, cutis frigido est et viscido sudore obtecta; denique sub vehementissima vertigine et anxietate vomitus intrat cruentus. Sanguis vomitu ejectus vel ruber est et liquidus, vel ater et coagulatus. Aegroti vires plerumque tali vomitu quam maxime debilitantur, facies pallescit et frigescit, pulsus admodum debilis est et aegrotus de doloribus trahentibus cervicis conqueritur. Passim vomitu tanta sanguinis copia ejicitur, ut aegrotus illico pereat. — Alibi autem haecce asthenia morbi magis torpidae est naturae. Praecipue hancce naturam prae se fert vomitus cruentus, si cum statu scorbutico et putrido conjunctus apparet. Melaena, s. morbus niger Hippocratis, fere semper torpidae est naturae et plerumque homines afficit, qui annum quadragesimum jam excesserunt, chronicis morbis vel lienis, vel hepatis et plethora abdominali laborant. Itaque praecipue hunc morbum deprehendimus in hominibus hypochondriacis et melancholici temperamenti, si forte simul menstruatio vel fluxus haemorrhoidalis est suppressus; horum facies pallido tincta est colore et livido, lassi sunt et stomachantur. Vulgo post coenam abdomen est tumefactum, ventriculus nimiam acidi gastrici continet quantitatem, sedes sunt tardissimae, oculi annulo plumbaceo circumdati, labia caerulea tremiscunt, pulsus parvus est, praecordia dolorifica. Aegroti, fri-

gido sudore obtecti, inter lipothymiam vomitu ac sedibus atrum sanguinem et coagulatum ejiciunt. Quae quidem evacuationes primum omnes molestias tollunt, mox autem pristinus status redit et simul vomitus cruentus repetitur. Non raro his evacuationibus conjunguntur affectiones nervosae; huc numerandi sunt dentium dolores, spasmi et vehementissimi capitis dolores; alias, si aegroti magnam sanguinis quantitatem amiserunt, febris hectica advenit. Cum aegroti de cadaveroso sapore et odore conqueruntur, novus morbi impetus est timendus. Plerumque sanguinis copia, quae hoc in morbo vomitu et sedibus ex corpore eliminatur, maxima est. Sanguis ipse nigerrimo colore est tinctus, coagulatus vel liquidus, modo sine ullo odore ac sapore, gustu, modo odorem tam foetidum exhibet, ut aër circumjectus prorsus impleatur et depravetur, modo tanta ei est aciditas, ut, si hac materia creta superfundatur, acidum carbonicum solvatur; alia quoque noxa ex hac materia tam acida proficiscitur, nam dentes obtundit et, quod majoris est momenti, si per longius temporis spatium in ventriculo vel tractu intestinali commoratur, tunicam mucosam infestat et facillime inflammationem hujus membranae potest evocare.

SECTIO.

Quae in cadavere secto inveniuntur, satis docent, quantopere caussae, ex quibus haematemesis et melaena oritur, inter se differant et ex quot organis origo horum morborum possit deduci. Modo magna sanguinis coagulati et atri copia per ventriculum et totum tractum intestinalem longe lateque diffusa invenitur, modo totum

ventriculi totumque intestini tenuis et crassi cavum unico sanguinis coagulati globo impletum et tunica mucosa rubro colore tincta, modo tela cellulosa inter hanc membranam et tunicam muscularem sanguine est infarcta, modo signa inflammati ventriculi totiusque intestini observantur. Sed ea, quae de inflammata tunica mucosa conscripta sunt, cautissime perpendantur necesse est. Abercrombie demonstravit, anatomicos non raro tunicam mucosam cruore sanguinis tinctam pro inflammata habuisse. Sed ex altera parte negari non potest, utrumque statum, et inflammationem et infiltrationem, simul posse adesse. Alias tunicam intestinorum mucosam nigro colore invenimus obductam et vasa sanguifera sanguine admodum turgida; ecchymomata quoque et illae maculae aqua non abluendae occurrunt. Nonnulli pathologi, sese tunicam ventriculi mucosam maculis nigris, ex quibus materia nigra, ei simillima, quae, aegroto adhuc vivo ex ano ejecta sit, potuerit exprimi, invenisse affirmant. Alii vera venarum ostia in ventriculo et intestinis reliquis, varicosa vasa ventriculi et vasa illa brevia dicta, quibus vasa lienalia et gastrica inter se cohaerent, sanguini pervia, ita ut specillum haud difficulter intraret, se observasse contendunt. Magnus ille anatomicus pathologicus, Morgagni (1), hac de re haec dicit: „sed et plures, cum post immanes lethalesque „cruenti humoris, aut sanguinis ipsius vomitus dissecti „essent, nullum quaerentibus aperti aut erosi vasis in- „dicium ventriculo ostenderunt; immo vas breve, etsi „lien aequo esset longe major, nimis exile et cujus ra-

(1) Ep. XXXVI, nr. 12.

„dices ad ventriculi exteriores quidem, minus vero inte-„riores tunicas pertinuerunt.“ Alii tamen anatomici haec vasa brevia ad digiti latitudinem ámplificata, sanguine atro et coagulato impleta et reliquas corporis partes fere exsangues invenerunt. Alias non solum vasa brevia erant extensa et venae ventriculi lienisque dilatatae, sed etiam venas omenti et mesenterii Hoffmann adeo amplificatas invenit, ut intestina aequarent; imo vasa haemorrhoidalia eundem amplificationis gradum hoc morbo assecuta esse, anatomici affirmant. Alias arteria coronaria ventriculi erat extensa et majus ostium simul habebat utraque illa arteria, quae ex Art. coeliaca originem ducunt. Quod ostia vasorum brevium aperta in ventriculum hiantia attinet, commemorandum est, haec semper ex vena ultra modum extensa et hanc ob rem dirupta esse orta. Rem vere ita sese habere, sectiones a pluribus pathologis institutae docueruut. Reil narrat, se in ea regione, ubi maculae illae nigrae, quae tunicam ventriculi mucosam obtexerant, sitae fuerint, tunicam illam relaxatam et molliorem a tela cellulosa materia nigra sejunctam invenisse. Maximi momenti illa est observatio, et quae commemoretur, dignissima (1). Homo quidam haematemesi et melaena laborans periit. In cadavere haec inventa sunt: tela lienalis erat relaxata; quo quidem organo compresso sanguis in vasa brevia poterat depelli; tum saccos fructibus hippocastani simillimos, inter tunicam muscularem et telam cellulosam ventriculi propriam s. tunicam nerveam, positos, intravit ibique perstitit. Tunica illa, qua hi sacci

(1) Schmidt's Jahrb. Bd. VII, p. 50.

erant obducti, tenuissima erat et nonnullis cicatricibus obtecta. Ex his rebus certissime potuit colligi, vomitum cruentum, qui hominem illum necarat, ex vasis ruptis esse ortum. Alibi autem res aliter se habet et vix mente potest concipi, unde sanguis defluxerit, nam saepe ne accuratissimae quidem partium affectarum disquisitioni contingit, ut vas ullum sanguine, majori impetu invecto, ruptum detegatur. Immo, si Morgagni auctoritatem sequamur, passim accidit, ut ne locus quidem ventriculi vel sanguine tinctus vel parietes vasorum egresso obtectus, oculis sit perspicuus. Aliud afferendum est exemplum, ubi, quod parietum qualitatem attinet, vena lienalis et mesenterica magna, immo Vena Portarum ejusque ramus dexter et sinister, nihil anomale ostendit, ex contrario autem rami horum vasorum minores cuncti erant amplificati; quae quidem ratio accuratissime potuit observari in margine lobuli hepatici et dextri et sinistri, in vasis brevibus, in vena coronaria et gastroepiploica; tunica ventriculi mucosa cultro ablata, densum et caeruleum rete vasorum varicosorum conspiciebatur. Totus tractus intestinalis et magis minusve omnia organa abdominalia, si magna sanguinis copia vomitu est edita, fere prorsus exsanguia in cadavere occurrunt ac pallore et candore insigniuntur; immo in hominibus aetate provectis semper singula vasa conclusa et obliterata inveniuntur. Sed nunc ad eas organorum abdominalium degenerationes transeamus, quae non raro in cadavere hominum vomitu cruento necatorum praesto sunt. Modo ulcera adsunt, modo callositates, nunc scirrhus et carcinoma, nunc lien magnitudinem solitam longe excedit, nunc mollior, nunc indura-

tus est; idem valet de organis caeteris, de hepate et pancreate. Sed omnium frequentissimae occurrunt lienis degenerationes. Passim hoc organon tantum relaxationis gradum assequitur, ut secundum Hoffmanni (1) verba, lien in hujusmodi cadaveribus coagulatae sanguinis massae instar appareat, absque ulla substantiae soliditate. Plerumque observamus, proportionem inter lienem et hepar alternare; illo amplificato, hoc minoris est voluminis. Rarius hoc in morbo ratio est inversa; sed nonnunquam fit, ut utrumque organon simul amplificatum inveniatur. Morgagni (2) egregium attulit exemplum, ubi lien magnum assecutus erat volumen et in parietibus venarum lienalium concretiones occurrebant polyposae, per cunctos ramos extensae; hepar pallidi erat coloris, vesicula fellea bile aquosa erat impleta, in ventriculo autem nil morbosi poterat detegi. — Passim tela hepatis luridum vel cinereum exhibet colorem et materias continet steatomatosas ac tuberculosas. Semel vesicula fellea eadem materia erat impleta, quae, aegroto adhuc vivo, vomitu et sedibus ejiceretur. Vulgo cavum abdominis liquorem continet serosum et flavescentem, modo parcum, modo largiorem.

DIAGNOSIS.

Prae omnibus accuratissime est distinguendum, utrum sanguis ex ventriculo ejiciatur, necne; minime enim quisque sanguis faucibus ejectus ex ventriculo vel tractu intestinali originem ducit. Non raro sanguis, pulmonibus vel ullo faucium loco effusus, in ipsis faucibus

(1) diss. cit. p. 10.
(2) Ep. XXXVI., nr. 11.

haeret; tum ructus vomitumque movet, unicum naturae refugium, sanguinem hoc in loco accumulatum removendi. Quod discrimen inter haematemesin et haemoptysin attinet, hanc plerumque affectiones pulmonum antecedunt, dein aegroti aetas, architectura et indoles est respicienda, tum sanguis ex pulmonibus effusus rubriore gaudet colore et spumosus est, in haematemesi tamen ater, piceus; sed in haemoptysi quoque sanguis nigro tinctus esse potest colore, si forte orta est ex menstruatione irregulari vel fluxu haemorrhoidali suppresso. Quod profluvia cruenta ex faucibus orta spectat; Joël (1) exemplum admodum memorabile palam fecit. Puella quaedam, quatuor annos nata intumescentia parotidis inflammatoria laborabat valde dolorifica. Vix diebus quatuordecim elapsis, puella prorsus erat restituta; nihilominus stomachabatur, facies pallescebat, facillime irritabatur et de continua vomendi propensitate conquerebatur. Subito ex ore ruit magna sanguinis rubri copia et puella incidit in lipothymiam. Mens cum rediit, vires sunt prostratae, pulsus parvus, cutis autem calida; si maxilla comprimitur, dolores oriuntur. Medicamentum purgans datur lenissimum et sedecim circiter unciae sanguinis rubri ano evacuantur. Proxima luce puella subito admodum pallescit, iterum magna sanguinis quantitas ejicitur et de vita aegrotae actum est. In cadavere haecce sunt detecta: art. maxillaris interna lateris sinistri eo in loco aperta inventa est, ubi in superiorem finditur ramum et inferiorem. Incisura ad marginem maxillae facta, manus in cavum quoddam superne

(1) Med. Zeitsch. v. d. Verein der Heilkde in Preussen 1834. Nr. 31.

et inferne cum faucibus communicans et sanguine co
gulato prorsus impletum, pervenit. Ventriculus multu
adhuc partim coagulati, partim sanguinis recentis, co
tinebat, eadem materia duodenum erat infarctum. -
Non raro sanguis faucibus effusus deglutitur et tum
vomitu ejicitur, vel simul cum excrementis excernitu
Certissimum signum, sanguinem revera hoc ex fonte pr
ficisci, congestiones sunt caput naresque versus. Pa
sim homines medico imponere student, dum sanguine
alicujus animalis deglutiunt; immo superstitio homin
epilepsia affectos sanguinem capitis damnatorum biber
jubet. Esum quoque immodicum cerasorum acidoru
et baccarum vaccinii vomitus, quo materiae eodem atr
colore tinctae ejiciuntur, sequitur; iisdem nutrimenti
non minus quam medicamentis martialibus et acido tan
nico excrementa atro tinguntur colore. Secessus bili
corruptae nigrificant; bilis autem accuratissime potes
cognosci, nam aquae, in qua solvitur, viridum tribui
colorem; utrum sanguis materiae vomitu ejectae insi
necne, ita dirimitur, ut acidum sulphuricum addatu
quo sanguis rubriorem accipit colorem.

Non raro, quamvis sanguis vel in ventriculum vel i
intestinum sit effusus, neque vomitu neque sedibus remo
vetur; hic calor ille abdominis eximius certum locum te
nens, tumor abdominis mollis, subitanea virium pro
stratio et ad lipothymias propensio, extremitates frigo
scentes, facies pallida, corpus sudore frigido obtectum
duces erunt in diagnosi statuenda. Si vomitus cruentu
in neonatis existit, vel mammae erant laesae, vel pro lact
sanguinem continebant vel neonatus inter partum ipsum
sanguinem utero effusum deglutierat. — Vomitus cruentu

confundi potest cum haemorrhoidibus; sed plerumque hae non tantas secum ferunt molestias tantamque virium prostrationem, quantam melaena. Morbos lienis plerumque haematemesis comitatur, praesertim inflammationem; hic tamen nunquam magna sanguinis copia ejicitur et vulgo morbus tali vomitu cruento solvitur; quod colorem sanguinis attinet, magis ruber est in haematemesi. Cum ventriculus carcinomate laborat, vomitus fere nunquam deest; hic tamen et prodromi et color materiarum ejectarum diagnosin certiorem reddunt, quippe quae semper fuscum èxhibeant colorem et flocculorum instar ejiciantur. Ex aneurysmate quoque rupto vomitus cruentus nonnunquam oritur; hic sanguis est ruber ejusque quantitas ingens; vulgo de vita aegroti actum est. Medicus ante aneurysmatis rupturam in auxilium vocatus stethoscopio facile diagnosin eruet. Quod discrimen inter haematemesin et melaenam attinet, jam supra commemoratum est, haematemesin magis injuriis subito irruentibus, melaenam diuturno statu morboso praegresso provocari. Tissot (1) illam indolem, melaenam provocantem, ita describit: »si ergo sine sarcina ventriculi, »sine ullo genere obstructionum, sine bilis vitio, sine exquisita nervorum teneritudine, sine diaetae vitio, sine »flatulentia, graves premunt dolores ventriculi praesertim, »locum tamen aliquoties mutantes, renes plerumque immo »totam spinam dorsi in consensum trahentes, post pa»stum increscentes, mire imprimis exacerbantes post ali»menta aut potulenta, quae calefaciunt, cum inaequali

---

(1) Tissot, epist. de morbo nigro et scirrhis viscerum. ed. Baldinger. Jena u. Lpzg. 771. p. 62.

»appetitu, remissionibus et exacerbationibus sine app
»rendi caussa, sensu caloris interni, incremento dolor
»post purgationes, macilentia, decoloratione, debilit
»frequenti sensu deliquii minantis, vix de infarctu vas
»rum ventriculi et intestinorum dubitandum est, et h
»firmabitur opinio, si morbus invasit subjectum pleth
»ricum, virum quendam haemorrhoidarium, feminam a
»maligne menstruatam aut quinquagenariam, si levant
»dolores venaesectione, haemorrhagiis, diaeta insuls
»medicamentis lenientibus.«

AETIOLOGIA.

Gravissimi momenti est aetas, sexus, constitutio temperamentum. Plerumque homines vomitu afficiunt cruento, qui quadragesimum vitae annum transgres sunt; rarissime juvenes, nisi res venenosae et alien tractum intestinalem laeserint; his quoque adnumeran sunt vermes intestinales. Quod sexum attinet, praese tim sequior hoc morbo infestatur; viri, si quando is malo corripiuntur, haemorrhoidibus laborarunt. Hu morbum hereditate quoque a parentibus ad liberos poss transire, experientia docet. Maxime favet haemateme et melaenae constitutio atrabilaris et temperamentum ch lerico-melancholicum; tales homines sunt macri, pil opacis densis instructi, cutis opaco colore tincta et ven latissimae. Hujusmodi homines, priori vitae tempo sanguine admodum abundantes, vel haemorrhoidib irregularibus vel menstruatione anomala laborarunt; s mul illae molestiae cunctae aderant, quae plethora abdominalem, dyspepsiam, hypochondriam manifestan Multum pendet a victu totaque vitae ratione. Passi

autem degenerationes organorum abdominalium exstant, praecipue lienis hepatisque amplificatio et induratio, quae utraque sanguinis fluxum impediunt et tali modo sanguificationem permutant et depravant. Pancreatis quoque mutationes vomitum cruentum sensim sensimque possunt ciere; exempla dantur, quibus suppuratio hujus organi haematemesin provocavit. Si jam diathesis quaedam praesto est, facillime gignitur vomitus cruentus ex arthritide atonica, diuturnis febribus intermittentibus, fluxu haemorrhoidali et menstruatione irregulari, vita sedentaria et animi affectionibus deprimentibus. Haematemesis ex assulis vitreis vel osseis, ventriculum et intestinum perforantibus, nonnunquam ortum ducit. Alibi caussa est nimia musculorum abdominalium contentio et diuturna, qua sanguinis fluxus impeditur et retardatur. Contusiones et vulnerationes externas non raro sanguinis profluvia ex intestinis et naribus vehementissima sequi, jam Hippocrates docuit. — Multum pathologi de ortu sanguinis disputarunt, utrum ex arteriis, an ex venis edatur. Alii, quibus Haase adnumerandus est, melaenam et ex arteriis et ex venis oriri contendunt, alii, inter quos Reil, hocce profluvium cruentum tantummodo ex arteriis deducunt, alii denique solis venis tribuunt ortum. Sthenicae morbi naturae usus immodicus nutrimentorum irritantium, vehementes et continui animi affectus, nimia mentis exercitatio et suppressa profluvia sanguinis salutaria favent, asthenicae praecipue aër humidus, frigidus et vaporibus palustribus satis impraegnatus, victus irritans et flatulentus, potus tepidus, immodicus theae et coffeae potus, vinum ex pomis paratum et acidum, animi affectus deprimentes et vivendi

ratio illorum hominum, qui vitam degunt sedentariam, corpus non quotidie ambulando sub divo exercent et lucubrationibus continuis somnum fugant.

PROGNOSIS.

Jam ex antiquissimis temporibus multum de vi salutari vomitus cruenti est disputatum, alii benignum, alii malignum morbum esse contenderunt. Neque hoc neque illud stricte potest negari; hic quoque illud proverbium valet »medium tenuere beati«, nam modo salutaris est, modo non salutaris. Quod quidem jam Hippocrates (1) docuit iique, qui ex ejus schola prodiere. Hi vomitum cruentum malignum declarat, si in febrilibus morbis, benignum si in morbis non febrilibus existat. Si morbum in universum respicimus, prognosis non infausta nominanda, nam magna hominum hoc malo laborantium turba molestissimis illis affectionibus, quas plethora venosa secum fert, liberantur. Semper prognosis bona est statuenda, si morbus simplex est, infausta tamen si ex degenerationibus organorum gastricorum lienis, hepatis, ventriculi, pancreatis, inexpugnabilibus profectus est; nam plerumque aegroti languidam trahunt vitam per aliquod tempus et pereunt visceribus labefactis vel hydrope non debellando exstinguuntur; vulgo enim vomitus cruentus intrat, evanescit et iterum iterumque recrudescit; vires eo quam maxime debilitantur et tandem prorsus consumuntur. Boni est ominis, cum morbus sthénica excellit natura, dummodo haec sthenia fines

(1) Aphor. sect. VII, 37. Ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν ἄνευ πυρετοῦ, σωτήριον. Εἰ δὲ σὺν πυρετῷ, κακόν· θεραπεύειν δ[è] τοῖσι ψυκτικοῖσι, καὶ τοῖσι στυπτικοῖσι.

legitimos non transgrediebatur, infausta est natura asthenica. Si vomitu vel sedibus magna ejicitur sanguinis copia, profusio est timenda; sed ista in universum non tam saepe accidit, quam forsan ex quantitate sanguinis possit colligi. Cum vomitus cruentus ex plethora venosa provenit, salutaris est, aegrotum multis a molestiis liberum reddit totumque statum morbosum in tempus aliquod tollit. Jam supra commemorata sunt exempla, quae docent, homines quotannis semel aut bis vomitu cruento affectos summam aetatem posse assequi. Sed hic semper cavendum est, ne vomitus ille supprimatur; quod enim si fit, de aegroti vita actum est. Quamdiu aegrotus, qui morbi paroxysmum superavit, de doloribus epigastrii conqueritur et extremitates frigidae sunt, ne morbus recrudescat, semper timendum est. Pessimum est, si aegrotus in deliria incidit et sub vehementissimis doloribus sanguinem atrum, coagulatum et foetidum ejicit; idem valet de ictero accedente.

CURATIO.

Prae omnibus caussa remota tollenda, tum, si vomitus vere intrat, aegri natura est respicienda; deinde medici est curare, ne aegroto singuli morbi impetus periculum afferant, tum ea, quae morbum sequi solent, coercere et quantum fieri potest, impedire, quominus morbus iterum iterumque recrudescat. Quod primam indicationem, caussam remotam tollendi, attinet, variis in casibus hoc magis minusve est difficile. Passim prodromi jam docent, vomitum cruentum sensim sensimque appropinquare; tum fieri potest, ut paroxysmus arceatur, si unquam caussa remota curationem admittit. Ubi ple-

thora exstat abdominalis, maximam salutem praebent venaesectiones parcae per intervalla repetitae, tum praecipue usus medicaminum alvum leniter purgantium; in primis salia neutra sunt adhibenda. Quod ad locum in quo venaesectio instituenda sit, a plurimis medici pedes laudantur; hirudines quoque ad anum et partes genitales appositae multum prosunt. Omnia nutrimenta irritantia et flatulenta sunt vitanda, quotidie aegrotus corpus ambulando sub divo exerceat, necesse est; nunquam alvi obstipatio patienda est. Multum prodest potus quotidianus magnae quantitatis aquae frigidae. Aliter res se habet, si morbi chronici organorum abdominalium maligni sunt accusandi. Tum naturae omnia sunt committenda, tum unice cavendum est, ne alvo obstipata periculum augeatur. — Nunc ad alteram curationis partem transeam, quae ad vomitum cruentum, cum jam intraverit, pertinet. Hic quoque prae omnibus caussa remota est respicienda. Si substantiae acres et venena, quae ventriculus continet, vomitum provocarunt, remedia mucilaginosa sunt praebenda, ut hae substantiae venenosae satis involvantur, tum medicamenta cuique veneno consentanea. Si forte assulae vitreae vel osseae deglutitae caussam praebuerunt vomitus cruenti, aegrotus pulte ex farina vel oryza parato et satis spisso fruatur, necesse est. Ubi ventriculus magnam bilis depravatae copiam continet, infusum Chamomillae, flor. Sambuci, medicamenta sedantia salutaria erunt. Si nihilominus polycholiae symptomata perdurant et continui ructus vomendi propensitatem produnt, emeticum leve est praebendum; semper tamen emeticum maximas requirit cautelas. Acidum gastricum auctum absorbentibus re-

mediis est impugnandum. Hic vel illic accidit, ut hirudines vel linguae vel gingivis appositae deglutiantur; quae quidem ventriculum rodunt et tali modo vomitum cruentum gignunt. Hae Ol. Amygdal. insontes sunt reddendae; optimum est, has illico solutione salis culinaris et aceti necasse. Alias vel uterus gravidus vel partus difficilis haematemesin provocant; illic curandum est, ne uterus porro organa abdominalia comprimat, hic partus est accelerandus. Si vomitus cruentus ortum ducit ex haemorrhoidibus subito suppressis, hirudines ano appositae, usus Crem. Tart. vel Tart. Tartarisati cum flor. sulphuris multum juvabunt; si suppressa menstruatione est provocatus, hirudines partibus genitalibus sunt apponendae, idemque locus vaporibus tepidis fovendus, lavacra irritantia sunt adhibenda. Ex atonica arthritide suppressa haematemesin originem ducere posse, supra traditum est; tum Ol. Cajeputi est adhibendum et externe pedibus vesicatoria vel sinapismata apponenda. Maximum imminet periculum, si febris intermittens caussa est haematemeseos. Cum vomitus cruentus profectus est ex plethora abdominali, venaesectio modica utilissima erit, alvus leniter est aperienda Cremore Tart., et simul quotidie quatuor et viginti ad quadraginta gutt. Aq. Laurocerasi ter sumtae multum proderunt. In universum hoc in casu methodus antiphlogistica lenissima apta erit, ergo usus Ammon. muriat., Acidi tartar., Tart. borax.; Calomelas cautissime est adhibendum, quia non raro iterum haematemesin gignit. Praecipue illa medicamenta dicta salutaria erunt, si extracta amara et mucilaginem continentia adduntur, ex. gr. Extr. Tarax., Chelidonii. Si quis status spasticus organorum gastri-

corum caussa est, Castoreum et Asa foetida; tractu intestinali debilitato, diaeta sit bona, nutrimenta leniter irritantia eupepta et alibilia, generosum vinum aqua dilutum, simul quotidianae corporis exercitationes sub divo, praesertim frequens equitatio et vectio; praeterea animus quoque valde est spectandus, multum enim prodest, si ad hilaritatem aegrotus adigitur. His omnibus praemissis et aegroti statu in melius verso, ad medicamenta transeundum est, quae tractus intestinalis vires augent et digestionem corrigunt; sub finem curae aptissima erunt medicamenta amara et martialia.

Deinde morbi natura est respicienda. Saepe gravi ullius partis refrigeratione, praecipue pedum, sanguinis profluvia salutaria supprimuntur et inde morbus inflammatoriam accipit naturam; talis quoque status interdum occurrit in junioribus, si ulla re tractus intestinalis nimis est irritatus. Tum pulsus est durus, sanguinis profluvium magnum, ventriculus et lien dolorifici, sedes tardae. Quae quidem si occurrunt, venaesectio est instituenda, regioni gastricae vel lienali hirudines apponendae, alvi excretiones adjuvandae, praecipue salibus neutris. Potus aptissimus est aqua, serum lactis dulce, tenuia prunorum decocta. Plures medici abdomen aqua frigida, glacie foveri jubent; nunquam tamen haec sunt adhibenda, quod sanguinis profluvium celerius debito supprimitur; inde autem facillime intestinorum inflammatio provenit et organorum abdominalium. Aptissima sunt clysmata antiphlogistica ex Natr. sulph. parata, quae statum inflammatorium diminuunt. In statu asthenico cum erethismo conjuncto medicamina antispasmodica sunt indicata; sed nihilominus hic quoque diligentissime san

guinis congestiones, quae non raro praesto sunt, respiciantur necesse est. Optimum est, si primum alvus Cremor. tart. ducitur aeque ac clysmatibus leniter aperientibus; haec remedia bene sequuntur medicamenta antispasmodica; interne aptissima sunt Elix. acid. Halleri, Hb. Digitalis, Hb. Hyoscyami; cuncta parvis tantummodo dosibus sunt praebenda. Externe aptae sunt inunctiones linimenti volatilis et camphorati, calidae fomentationes ex infuso Flor. Chamomillae, Valerianae.

Jam ad curam vomitus cruenti ipsius transeamus. Aegrotus inter morbi paroxysmum summam servet quietem et in lecto cubet, necesse est; integumenta calorem efficere non debent, ex contrario aeger levissime tantummodo tegatur, oportet. Interne adhibendus est Cremor Tartari, Tart. tartaris., serum lactis, Pulpa Tamarindorum, ita ut duae vel tres sedes sequantur. Aeger tantum levissimis cibis fruatur, magnam aquae frigidae copiam, sed singulis parvis dosibus, assumat, aqua saccharata, lac amygdalinum, tenue aveniae decoctum, multum proderunt. Si lipothymiae oriuntur, saepius sanguis ex faucibus non vomitu ejicitur, sed coagulatur et tali modo fauces concluduntur. Aegroti ex lipothymia suscitandi sunt, sed nequaquam medicamentis irritantibus; plerumque frictiones sufficiunt. Si vomitus cruentus ex inflammato liene prodit, doloribus regionis lienalis magis minusve manifestato, uti symptomata jam docent, methodus antiphlogistica est adhibenda, praecipue ad hirudines hypochondrio sinistro apponendas et ad venaesectionem est confugiendum. Remedia interna ventriculus fere non fert. Aegrotus aquam, vel serum lactis bibat, necesse est, et si impetus praeterierit, Tart. tar-

taris., est adhibendus. Inter impetum vomitus cruenti qui asthenicam et simul erethisticam prae se fert naturam, multum prodest pulv. aërophorus, Elix. acido Halleri, parvae doses Digitalis et, si vehementes adsunt spasmi, Opium est exhibendum; externe inunctiones et fomentationes. Si morbus torpidam prae se fert naturum, medicamenta irritantia, Arnica cum Camphora et Naphthis; simul parvae doses vini generosi sunt praebendae.

Deinde, quod ad sanguinis profluvium ipsum spectat, passim illud tantum vehementiae gradum assequitur, ut de vita timendum sit, praecipue si morbus charactere excellit asthenico, vel si ulcerationibus est provocatus. Interne talia medicamina sunt adhibenda, quae sanguinis profluvium coercent et tollunt. Maxime commendandus est largus aquae frigidae potus; ex medicamentis lenissima sunt eligenda, quod passim nimia est eorum efficacia. Si morbus magis ex statu paralytico provenit, medicamina irritantia in usum sunt vocanda. His adnumerandum Ol. Terebinth. Multum hic quoque juvabunt acida mineralia; bonum est, a lenissimis ordiri, ex. gr. Elix. acido Halleri. Sal quoque culinare subtilissime tritum a multis medicis est laudatum.

Cum aegrotus morbi impetum feliciter superavit, plerumque vires quam maxime sunt prostratae. Tum aegrotus summae indulgeat quieti, nutrimentis admodum roborantibus, sed parvis dosibus, fruatur, praesertim jusculis carnium, necesse est; sedes tardae semper sunt promovendae; attamen altera parte cavendum est, ne sedes nimis frequentes, altera alteram, sequantur. Simulac sedes atro colore esse desinunt, aeger nutrimen-

tis frui potest roborantibus, at eupeptis; semper cibi duri, flatulenti et dyspepti sunt rejiciendi, aeque ac quaeque immodica abdominis infarctio arcenda; non minus noxius est immodicus theae usus, qui tractum intestinalem jam debilitatum magis prosternit et non raro novum provocat vomitum cruentum. Valde perniciosa quaeque est refrigeratio. Passim, si morbus est sublatus, debilitas quaedam tractus intestinalis restat; hic cura secundaria extracta postulat amara. Alias vomitu jam sublato febris adhuc exstat admodum diversa, modo febris est intermittens maligna, ubi vomitus cruentus inter febris paroxysmos apparet: quae quidem hujus febris curam reddit necessariam; modo febris inflammatoria haematemesin sequitur, tum pro intensitate methodus antiphlogistica est adhibenda. Alias febris gastrica vomitum excipit cruentum, quae originem ducit ex sanguine depravato in intestinis relicto, qui jam in putredinem transiit. Tum medicamenta leniter purgantia eo usque sunt danda, donec sedes satis largae secutae sunt. Alias febris magis lentam prae se fert naturam, forsan quod vires profluvio modum longe excedente nimis sunt prostratae; tum methodus roborans est indicata.

Denique de iis nonnulla verba sunt facienda, quae novum morbi impetum arcent. Prae omnibus caussa morbi remota est respicienda et, quantum fieri potest, tollenda, quae forsan inter morbi impetum ipsum ne respici quidem potuit. Praecipue intestina ad pristinum statum sunt restituenda. Arthritis anomala regularis est reddenda, haemorrhoides suppressae restituendae, menstruatio irregularis ad pristinum ordinem redigenda, plethora abdominalis, quantum fieri potest, tollenda et in-

tumescentiae organorum abdominalium, si quae adsint, diminuendae. Vires tractus intestinalis eo optime restituuntur, ut diaeta adhibeatur roborans, nunquam autem cibi magni voluminis sunt dandi; multum juvat potus quotidianus vini generosi, usus continuus medicaminum amarorum et adstringentium, Extr. Taraxaci, Chelidonii, Millefolii, Hederae terrestris, tum transire licet ad Quassiam, Chinam et Martialia. Animus semper hilaris est servandus, corpus quotidie sub Jove exercendum. Denique, aegrotus tantummodo cibis satis frigefactis fruatur, necesse est.

VITA.

Ego, Arminius Bruno Weinmann, natus Schraplaviae die XXVIII. mensis Novembris a. MDCCCXV. patre Adolpho, matre Christiana e gente Laue, quam ante aliquot annos morte mihi ereptam valde lugeo, evangelicam confiteor fidem.

Primis literarum rudimentis imbutus anno MDCCCXXVIII. gymnasium provinciale Portense adii, ibique quinque annos et dimidium in literas incubui. Anno MDCCCXXXIV. me contuli ad gymnasium Islebiense. Maturitatis testimonio munitus ineunte vere anni MDCCCXXXV. Berolinum petii et inter cives academiae regiae medico-chirurgicae receptus per quatuor annos et dimidium hasce scholas frequentavi:

Cel. Wolff de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de botanice, historia naturali et pharmacologia; Cel. Turte de physice experimentali et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica; Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, syndesmologia; Ill. Mueller de anatomia universa, de anatomia organorum sensuum, de physiologia. In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm duces mihi fuere; Beat. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice et therapia tam generali quam speciali; Ill. Eck de physiologia; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. Osann de materia medica, fontibus soteriis, auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Cel. Kluge de arte fascias rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte obste-

tricia, de akiurgia; Ill. Juengken de akiurgia, et de chirurgia speciali.

Praeterea haecce frequentavi instituta clinica et auscultando et practicando: Cel. Wolff clinicum medicum bis; Ill. de Graefe clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum ter; Cel. Barez clinicum paediatricum; Ill. Wagner clinicum medicum. In operationibus instituendis ophthalmiatricis dux mihi fuit Exper. Angelstein.

Omnibus, quos dixi, viris illustrissimis summas ago gratias.

Tentaminibus vero et philosophico et medico, atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Mamma scirrho et carcinomate correpta exstirpanda est.
2. Fissurae et fracturae cranii per se periculum non afferunt.
3. Supplicia plane rejicienda.
4. Mendacium saepius cum medici officiis convenit, quam veritas.